





DE
TRANSACTIONIBVS
OB TIMOREM LITIS INITIS
AD L. 2. C. DE TRANSACT.
DISSERTATIO.

1796, 4
249
4

SCRIPSIT
ET
ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINI
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
PRO
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
OBTINENDIS

A. D. X. NOVEMBR. A. C. MDCCCLXXXVI.

OBTVLIT
CASPARVS GODOFREDVS KNOCHE
VELZENA-LVNEBURGICVS
CIVITATIS VETERIS VELZENSIS SENATOR ET ADVOCATVS
IMMATICVLATVS.

HELMSTADII
TYPIS C. G. FLECKREISEN, ACAD. TYPOGR.

TRAVEL DIARIES
OF THE
REV. J. B. ...

IN ...

...

...

...



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CAROLO RVDOLPHO AVGVSTO
COMITI DE KIELMANNSEGGE

DYNASTAE IN GÜLTZAV ET COLLAV
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI MAGN. BRIT. REGIS
ET ELECTORIS BRVNSVICO-LVNEBVRGICI IN SANCTIORI
CONSILIO STATVS ADMINISTRO
CAMERAE REGIAE PRAESIDI

NEC NON

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO
COMITI DE KIELMANNSEGGE

DYNASTAE IN GÜLTZAV ET COLLAV
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI MAGN. BRIT. REGIS
ET ELECTORIS BRVNSVICO-LVNEBVRGICI DVCATVS
LAVENBVRGICI PRAEFECTVRARVM PRAESIDI

MAECENATIBVS, EVERGETIS, PATRONIS
ATQVE FAVORIBVS
PATRVI SVI P. D. OLIM PRAEFECTI PRIMI
A SCHWARTZENBECK
IVLII GEORGII FRIDERICI KNOCHE
SVISQVE INDVLGENTISSIMIS
OMNIQVE DEVOTIONIS ET OBSEQUII CVLTV
AETERNVM PROSECVENDIS
HOC TENVE SPECIMEN
SVBMISSAE VENERATIONIS
M O N V M E N T V M
CONSECRAT

ATQVE IISDEM NESTOREOS ANNOS AC PERENNEM PROSPERITATEM
RELIGIOSIS VOTIS APPRECATVR
SE VERO SVOS SVASQVE FORTVNAS HVMLILIME COMMENDAT
TANTORVM NOMINVM

CVLTOR DEVOTISSIMVS
CASPAR GOTHFRIED KNOCHE.

§. I.

Argumenti ratio.

In iis conuentionibus, quibus lites aut futurae auerti aut iam motae finiri amice possunt, principem sane locum transactio obtinet, qua res dubia ita componitur, vt vterque aliquid det, vel retineat, vel remittat. a) Quare de transactionibus argumentum illustre omnino ac proficuum etsi multis iuris ciuilibus locis, quae tum in Digestis tum in Codice comprehenduntur, firmatum satis stabilitumque videri possit; complures tamen constat quaestiones dubias superesse, in quibus ob legum vel carentiam vel ambiguitatem iureconsulti in sententias plane diuersas
ac

- a) De transactionibus praeter multos alios generatim exposuerunt Gerb. Noodt tr. *de pactis et transactionibus*, qui exstat in Opp. Tom. I. Ge. Fr. de Ploenies *de transactionibus iura praecipua et quaestiones arduae*, Wetzlar, 1754. et Lebr. Aug. Renthe *Versuch einer systematischen Erläuterung der Lehre von den Transacten*, Rostoch. et Lips. 1789. 8.

ac discrepantes abeunt. At vero in iis ipsis locis, quae sententiam certam habere videntur, non desunt, in quibus aut singulare aliquid animaduerti liceat, aut pugna cum aliis locis intercedere compareat, aut certe historiae luce opus sit, aut adeo ratio, qua ad rerum usum recte transferatur, sit eruenda. Est autem inter leges, quas Iustinianus in Codice repetitae praelectionis ex illo genere habet, ea, quae de transactionibus *propter timorem litis* interpositis exponit, etiam commemoranda. Eam igitur iam Frid. Walchius, Vir Ill. et quondam praeceptor pie colendus, dignam existimauit, quam singulari commentatione prosequeretur. b) Mihi vero honores academicos in iure aspiranti cum speciminis alicuius publice edendi necessitas imposita sit, liceat vestigia viri premere, remque si non nouam, at certe iterata consideratione haud indignam breui proponere.

§. II.

Lex 2. C. de transact. profertur.

Rescriptum, de quo dicendum, in Codicem repetitae praelectionis his verbis translatum est:

Idem Aulo Luccatio.

Quum te proponas cum sorore tua de hereditate transegisse et ideo certam pecuniam ei te debere cauisse: etsi nulla fuisset quaestio hereditatis, tamen propter timorem litis trans-

b) C. F. Walch *de transactionibus propter timorem litis interpositis*, Ien. 1766. quae prostat in Opusc. Tom. I. (Hal. 1785. 4 mai.) exerc. X.

transacione interposita, pecunia recte cautâ intelligitur: ex qua causa si fisco soluisses, repetere non posses: et si non soluisses, tamen iure conuenireris. P. P. 3. Id. August. Antonino A. 4. et Balbino Coss.

De hac itaque lege in praesenti ita differendum puto, ut iis, quae ex historia ad illam illustrandam repetenda sunt, breuiter praemissis, verum sensum illius diligentius eruam: quo facto, quomodo nostra adhuc aetate usum habere queat, definiam.

§. III.

De aetate et auctore Rescripti differitur.

Locum quidem ex Rescriptorum numero esse, cui libet legenti in oculos statim incurrit. Auctorem Inscriptio vocat eundem, a quo lex proxime antecedens profecta est, Imp. *Antoninum*. Intelligit autem *Aurelium Antoninum Caracallam*, Seueri filium, qui iam cum patre imperium tenuit, eique, mortuo illo, anno DCCCCXLVI. ab V. C. seu CCXI. post Chr. nat. solus praeesse coepit. c) Facile quidem in eam opinionem adduci aliquis posset, ut vitium existimaret in inscriptione latere legemque non soli Caracallae, sed Seuero simul tribuendam esse, propterea quod leges adeo recentiores in Codice reperiantur, quae Imperatorem utrumque auctorem ferant. d) Sed salua res est.

Primum

c) Conf. Tillemontius *Histoire des Empereurs Tom. III. P. 1. p. 173.* Bach *Hist. iurispr. Rom. lib. III. cap. 2. §. 15.*

d) Nimirum *L. 3. C. de execut. rei iudic. et L. 4. C. de testament. tut.*

VIII

Primum enim alia rerum gestarum monumenta abunde nos docent, iam per trium annorum spatium viuis exemptum fuisse Seuerum, vbi Antoninus quartum Consulatum, sub quo nostra lex, teste eius subscriptione, condita est, administraret. Deinde in reliquis etiam legibus hoc anno conditis solum Antonini nomen conspicimus. e) Quam ob rem ego quidem existimo, mendosam esse inscriptionem illorum locorum, qui vtriusque Imperatoris mentionem illo anno faciunt, ideoque correctionem iis adhibere non dubitauerim.

Iam si quaerimus, cuius precibus rescriptum sit, ipsa quoque inscriptio nos docet, *Aulum Lucretium* eum esse, ad quem data est nostra constitutio. Gens autem Lucretia etsi haud ignobilis est inter eas, quae variis honoribus publicis sunt decoratae; f) de nostro tamen Lucretio praeter hunc locum nusquam aliquid commemoratum inuenio; neque igitur certi quid possum affirmare. Id tantum facile intelligitur, rescriptum non ob munus publicum, sed in causa priuata Lucretii, quisquis ille fuerit, datum esse.

Tem-

e) Veluti *L. 1. C. de fide et iure hastae fiscalis*, *L. 2. de except. seu praeser.* *L. 2. de donat. int. vir. et vx.* *L. 1. de re iud.* *L. 4. de petit. heredit.* *L. 1. comm. div.* *L. 2. de pass. conuent.* *L. 2. de ordine iudiciorum*, et complures aliae.

f) Memorantur Lucretii tum apud veteres scriptores, scil. *Valerium Max. II, 3.* et *Plinium XXXV, 3.* tum in lapidibus ap. *Gruterum thes. inscript. p. 551. 833. 1069.* et *Muratorium thes. inscript. p. 283. et 264.* Conf. *Fulv. Ursinus de famil. Roman. l. v. Lucretia*, *Ant. Augustinus de fam. Rom. in Graeuii thes. antiq. Rom.*

Tempus, quo Antoninus quaestionem sibi propositam responsione sua terminauerit, ex subscriptione discimus. *Consules enim nominat Antoninum IV.* ipsum nostrae legis latorem, et *Balbinum*. Quo anno hi Consules reipublicae fasces tenuerint, adhuc incertum est. Alii enim annum CCXIV. p. Chr. nat. iis tribuunt: g) alii annum CCXIII. illos Consules iam ad reipublicae gubernacula sedisse, adserunt. h)

§. IV.

Species Rescripto definita proponitur.

Iam de specie proposita, ad quam Caracalla respondendum duxit, sententia dicenda est, licet in illa fingenda Interpretes inter se parum conueniant. Nimirum ex verbis legis liquet, *transactio* quandam fuisse interpositam. Causa, de qua haec transactio inita sit, vocatur ab Imperatore *hereditas*. Quae quidem hereditatis appellatio vniuersitatem quandam et successionem in eandem, minime autem singulas res demonstrat. Num vero hereditas, de qua transactio est interposita, fuerit legitima, an testamentaria, incertum est, neque vllō modo definiiri potest. De vtraque enim, quaecunque illa fuerit, lis metui pluribus de causis potuit, transactioe prudenter finienda. i)

Nec

- g) Hunc annum Dionys. Gothofredus in edit. Corp. Iur. adiecit.
- h) Veluti Th. Iansf. ab Almeloveen in *fast. consular. p. 146.* et Lud. Ant. Muratori in *Hist. Ital. T. I. p. 599.*
- i) Docte de hisce causis ex iure, quod illis temporibus obtinebat, disputauit C. F. Walchius *l. c. §. 6. et 7.* quae hic repetere, nihil attinet.

B

Nec definire audemus, vtrum Luctatius, an eius soror hereditatem, de qua erat quaestio, possederit? Hoc tantummodo legis verba nos haud obscure docent, conuentionem ea conditione, vt Luctatius integram hereditatem retineret, et loco portionis, quam soror ex illa sibi tribuerit, ipsi summam certam promitteret, eoque nomine ei caueret, esse initam, et ideo quaestionem in medium esse prolatam, *num fisco quaedam solutio sit facienda.* — Abunde hoc demonstrant verba legis postrema: *ex qua causa si fisco soluisses, repetere non posses, et si non soluisses, tamen iure conuenireris.*

§. V.

Aliorum de specie ista sententiae.

Non omnes, qui ad interpretandum locum nostrum accesserunt, in specie eruenda inter se conuenire, diximus. Graeci quidem interpretes in libris Basilicorum fingunt, inter duas sorores controuersiam fuisse de hereditate: causam autem solutionis faciendae aut in publicatione bonorum vnus sororis, aut in successione ad fiscum delata poni volunt, in quo ipsi incerti haerent. k) Idem plane inter

k) Basilic. lib. II. tit. 2. leg. 19. Verba e versione latina adicere liceat: *Quum de hereditate sorores duae contenderent, vna ex his de danda certa pecunia sorori transactionis causa pepigerat, deque ea cautionem emiserat. Verum postea accidit, vt soror, quae cautionem adiecerat, publicaretur, vel vt sine herede decederet ac fiscus ei succederet. Quae igitur cum sorore sua transegerat, quum iam fisco soluisset ea, quae cautione continebantur; aut non soluisset quidem, sed vereretur, ne a fisco eo nomine conueniretur, principem adiit.*

inter recentiores Marckardus statuit, meramque Graecorum explicationem amplectitur. l) Ast inter duas sorores litem non fuisse, ipsa rescripti verba nos docent, cum de Luctatio sermo sit, qui cum sorore sua transegerit: de causa vero transactionis paulo post dicendi locus erit. Glossatores coniciunt, Luctatium a sorore hereditatem ab ipsa possessam petiisse eoque nomine cum illa transegisse, sic autem sorori ob delictum successisse, ideoque Luctatium ab Imperatore quaesivisse, num fiscus ea, quae ipse sorori promiserat, iure exigere possit? m) Atque eandem sententiam Hotomannus et Donellus sequuntur. n) Inter recentiores autem Iureconsultos Cuiacius o) et Wielingius p) causam rescripti in vicesima hereditatis collocant, ad vocabulum *fisci* maxime prouocantes. Etsi vero negari nequit, de fisci redivibus augendis multum a Caracalla laboratum esse, hic tamen de sola vicesima agi non putauerim. Dum enim Luctatius transactionem ideo irritam cen-

set,

l) Io. Guil. Marckardus *recept. lectio. P. 1. p. 135.*

m) Glossa ad L. 2. C. de transact. apud Petrum ab Area Baudoua in edit. Cod. (Lugd. 1593. 4.) p. 255. haec habet: *A sorore tua hereditatem possidente eam petiisti, et cum ea transegisti pro centum, quamvis sibi petenti iure non soluiisti: postea fiscus succedit sorori tuae ob delictum ab ea commissum. Numquid circa promissa ex causa transactionis tenearis soluere fisco? Respondeo, quod sic: quia sicut si soluissem ex ea causa fisco, repetere non possem: ita si non soluissem ex illa stipulatione, recte conueniri possem.*

n) ad L. 2. C. de transact.

o) Iac. Cuiacius *Obs. iur. ciu. c. 24.*

p) Abr. Wieling *Lect. iur. ciu. lib. II. c. 32.*

XII

set, quod hereditas sibi soli competat, nec transactione opus fuerit; ipse omnino ad vicefimam soluendam se obstrictum sentit. Quare multo probabilius est, fiscum in locum fororis successisse, et pecuniam a fratre in transactione promissam petiisse. Neque correctio Ant. Fabri mihi comprobatur, verbum *ilico* pro *fisco* substituendis: q) quam quidem coniecturam quamvis ingeniosam, parum tamen necessariam et paulo violentam esse, facile apparet.

§. VI.

Ipsum rescripti argumentum sistitur.

Nunc paulo curatius ponderandum, quid Imperator hoc in rescripto iusserit. Est autem propositio, quam praecipue statuit, haec fere:

Propter timorem litis interpositam transactionem ratam esse, licet etiam transigendi causam partes haud habuerint.

Huic propositioni duo addidit velut consuetaria, quorum alterum est:

Repeti haud posse, quod vnus transigentium alteri hac ex transactione dedit;

alterum autem:

Conueniri posse transigentem ab altero, vel eo, qui ipsius in locum successit, ad implendam transactionem.

Haec itaque singula diligentiori consideratione digna sunt.

§. VII.

q) Ant. Faber *Coniectur. lib. XVII. c. 4.*

§. VII.

Genera transactionum in causa dubia indicantur.

Nostram quidem sanctionem manifesto apparet ad illas transactiones spectare, *quae ineuntur, antequam res in iudicium deducitur.* Etsi enim lite iam mota multis modis transigi inter litigantes possit, de his tamen sermo hic non est. r) Non vero vna, eademque ratione transigere solemus, si lis nondum est instituta. Aut enim res, de qua agitur, vere *dubia* est, aut *minus*. Si res vere *non est dubia*, aut *lis timetur*, aut *minus*: vbi autem illa *timetur*, aut *is, qui metuit, ipsi sibi timorem hunc imputare debet*, aut *eum alteri adscribere debemus.*

Primo loco videtur considerandum esse, quid colligendum sit ex argumento nostro de transactionibus ante litem initis, vbi *causa*, de qua transactum, vere fuit *dubia*. Iam quum Imperator lege nostra claris verbis exprimat,

transactionem inter Lucratium eiusus sororem fuisse interpositam, etsi nulla fuisset quaestio hereditatis:

omnes quidem statim intelligunt, diserte de ista transactione hic sermonem non esse. At in causa vere controuersa consideramus *cas transactiones, quae ante litem ineuntur, atque*

- r) Ita Ulpianus: *L. 1. D. de transact. Qui transigit, quasi de re dubia et lite incerta neque finita transigit.* Idem Valerianus et Gallienus *L. 12. C. de transact. Praeses prouinciae examinabit, utrum de dubia lite transactio inter te et ciuitatis tuae administratores facta sit: an ambitiose id, quod indubitate deberi posset, remissum sit: nam priore casu ratam manere transactionem inbebit: posteriore vero casu nocere ciuitati gratiam non sinet.*

XIV

que in his *illas* ante omnia contemplamur, quae ob *litis* *timorem* haud sunt *interpositae*. Neque de istis autem proprie est sermo Imperatori, dum clare refert:

Transactionem, ob quam rescriptis, interpositam fuisse propter litis timorem.

Nihilominus haud obscure docet, quid statuendum sit de tali transactione sine re dubia atque extra litem celebrata, in qua transigentes controuersiam haud timuerunt. Quum enim alterutrum vel minimum Vlpianum postulasse liquet, in transactione, videlicet vel *rem dubiam* vel *litem haud irritam*, clare constat, transactionem haud cogitari posse, ubi iura, de quibus quis transigere vellet, neque in se sint incerta, neque ob exitum litis de iis institutae dubia.

§. VIII.

De transactionibus a) ob timorem litis, quem quis ipse sibi iniecit.

Ad illas tandem transactiones, ad quas potissimum rescriptum nostrum spectat, peruenio, videlicet eas,

quae de causa in se haud dubia sunt initae, at propter timorem litis interpositae.

Diximus, timorem istum transigenti mox ab altero iniici, mox fieri posse, vt illum ipse sibi fecerit. Hinc patet, duplicis generis iterum has transactiones esse.

Nimirum eas, *quas quis init propter timorem litis, licet ab altero haud sit perterritus, ratas esse, claris verbis Imperator*

perator significat. Eaque in re plane consentientem habet Paulum. s) Is enim dicit:

Et quidem, quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repetitur: nam si lis fuit, hoc ipsum, quod a lite disceditur, causa videtur esse. Sin autem evidens calumnia detegitur, et transactio imperfecta est, repetitio dabitur.

Idem itaque statuit, id, quod transactionis nomine sine iusta causa ob timorem litis, vt ab illa discedatur, datum sit, repeti haud posse, nisi evidens adsit calumnia.

§. IX.

De transactionibus b) ob timorem litis ab altero iniectum.

Quaeritur, num extendenda sit regula Imperatoris nostri ad eas quoque transactiones, quae *ex timore litis, ab altero nobis illato*, sunt initae. Iam si obiter rem intueamur, videtur quidem illa regula huc omnino absque discrimine transferenda esse. Nam lex generatim de timore litis loquitur: et metus ab aliis etiam inferri nobis potest. Sed re accuratius perspecta distinctio merito facienda est, vtrum is, qui alteri timorem litis iniicit, eo consilio lite terreat, vt is ad transigendum cogatur, an calliditatis illius reum se haud faciat. Si transactio per terrorem ab altero illatum dolose extorta est, ob illum ipsum dolum omnino est nulla: nec de ea lex nostra potest intelligi. Sin vero dolus ab altero non commissus est, transactio vtique valet.

§. X.

*) *L. 65. §. D. de condic. indeb.*

Argumentum contrarium repellitur.

Obstare huic sententiae videtur, quod timor metusue sicut omnem conventionem, ita quoque transactionem impediatur. Tantum enim vim metumque hic abesse leges volunt, ut iudicem adeo a coactione abstinere praecipiant. t) Iam cum is, qui litis timore impulsus de causa parum dubia transigit, non prorsus faciat libere: facile aliquis posset in eam opinionem adduci, ut eiusmodi transactionem irritam existimaret. Enimvero si rem attentius consideramus, facillime diluitur ista obiectio, nec vlla pugna inter rescriptum Caracallae et alias leges de transactionum valore praecipientes intercedit. Primum enim ob id ipsum maxime transigitur, ut lis impediatur, ideoque naturam suam prorsus mutare deberet transactio, si ob cogitationem litis metuendae inita esset. Deinde lis, quam timemus, non tantum est malum, ut voluntatis libertatem in consentiendo necessariam excludat. Quod si vero leges de vi metuque sancientes perlegimus, abunde hae docent, illum tantum metum, maxime ab altero illatum, in conventionibus irritis spectari, qui in constantem virum cadat, u) tantamque in animis contrahentium vim exferat, ut id propter illam faciant, quod facere prorsus noluerunt. Praefertim commemoratu digna sunt verba Diocletiani et Maximiniani in alio loco, qui in eundem Codicis titulum relatus est: v) *Interpositas, inquit, metus causa transactiones, ratas*

t) *Nov. 124. c. 4.*u) *L. 6. D. quod metus causa.*v) *L. 13. C. de transact.*

ratas non haberi, edicto perpetuo continetur. Nec tamen quilibet metus ad rescindendum ea, quae consensu terminata sunt, sufficit; sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contineat. Ex quo loco clarissime apparet, nonnisi vi coactas transactiones irritas esse; solam autem litis, quem aliquis metuit, considerationem hic non sufficere, sed potius transactiones ob litis timorem interpositas iure meritoque validas esse. Illa enim ipsa consideratio causam transigendi idoneam in animo transigentis habet, transactione demum terminandam.

§. XI.

Argumentationes ex L. 2. C. ductae.

His igitur explicatis dubium non est, quin legislator noster illas argumentationes ducere potuerit, quas supra indicauimus. Nam conditione indebiti id, quod alteri soluendum, repetere nequeo, nisi supponatur indebitum solutum. Prius autem illud cogitare non possum, quam si id, ad quod non obligatus sum, soluitur. Iam cum transactio propter solum timorem interposita valeat et ad implenda promissa transigentes obliget, nullo iure indebitum vocare possumus, quod ex ista transactione soluitur, ideoque recte sese habet argumentatio:

repeti haud posse, quod vnus transigentium ex hac transactione alteri soluit.

Praeterea vero ex ipsa regula, quam Imperator protulit, non minus colligere idem potuit:

conueniri posse transigentem ab altero, vel qui in ipsius locum successit, ad implendam transactionem.

C

Iure

XVIII

Iure enim Romano etsi transactio, tanquam pactum nudum, non actionem, sed tantum exceptionem proferre potuit, eadem tamen, si vnus transigentium promissis stetit, in contractum innominatum mutata, actionem praescriptis verbis produxit. x)

Id vero de Luctatio tuto affirmari potest, quippe pecunia ipsi haud cauta neque de ea solum frater questus fuisset, nisi jam hereditatis portio, de qua sit transactum, ipsi cessa esset. Quare Luctatius conueniri poterat, licet stipulatio haud accesserit.

§. XII.

De usu hodierno quaedam.

Certum omnino satis est, nostra aetate actionem in stitui posse transactione propter litis timorem interposita. Hospitem enim esse oportet atque peregrinum in rebus forensibus, qui ignorat, transactionem, si sit rite interposita, sine distinctione actionem producere.

Quamobrem lex Caracallae ita moribus nostris conuenit, vt eius usum hodie in dubium vocare nequeamus.

Exemplum rem egregie illustrans Walchius y) ex Lynckero z) attulit in transactione quadam, in Illustri Hardenber-

x) L. 6. L. 33. C. de transact.

y) C. F. Walch *diff. cit.* §. 18.

z) Nic. Chr. Lynckerus *Consult. iur. select.* Vol. II. p. 267.
Initium transactionis his verbis conceptum fuit: *Demnach sich zwischen dem Transigenten wegen der von Jobst Aichen von Hardenberg vorgenommenen traditione possessionis*

denbergiorum gente celebranda conspicuum. Ibi quum litis timor causa praecipua esset, cur ea interponeretur, neque illud statim in exordio instrumenti litigantes inficerentur; unus quidem transigentium irritam hanc esse transactionem arbitrabatur, illustre tamen Dicafterium Hanoueranum eum ad implendam pactionem anno MDCLXXXIV. condemnauit ac Iurisconsulti Ienenses responso, aduersario dato, ei spem faciebant, sententiam a iudicio imperii aulico, ad quod per appellationem causa erat delata, confirmatum iri. Simili ratione Iureconsulti Francofurtenses de Principe quodam imperii, qui ob timorem litis in transactione solutionem summae cuiusdam maioris promiserat, anno MDCLXII decreuerunt: illum sese liberare haud posse ab obligatione eo nomine, quod sine iusta aliqua causa transegerit. Plura hic ad illustrandum exempla proponere, quam res ipsa satis clare loquatur, non attinet.

sionis vel quasi aller seiner Erb- und Pfand-Güther an seine Tochter, und hingegen von den Herren Gebrüderm in casu mortis erwähnten Jobst Aschens als ihres uterini fratris prätendirten Succession ab intestato sowohl der Lehn- als übrigen Stamm- Pfand- und Erbgüther einige Irrungen und Mißverständnisse sich hervorgethan, vorab beyderseits schädliche Weilläufigkeiten zu besorgen gewesen und augenscheinlich hervorgethan.

h. 4. 4. 1166. 1167. de re publica de re p. 1.



X 2368106

V
D
18

ULB Halle 3
007 678 258







DE
TRANSACTIONIBVS
OB TIMOREM LITIS INITIS
AD L. 2. C. DE TRANSACT.
DISSERTATIO.

1796, 4
259
4

SCRIPSIT
ET
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINI
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
PRO
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
OBTINENDIS

A. D. X. NOVEMBR. A. C. MDCCLXXXVI.

OBTVLIT
CASPARVS GODOFREDVS KNOCHE
VELZENA-LVNEVBERGICVS
CIVITATIS VETERIS VELZENSIS SENATOR ET ADVOCATVS
IMMATICVLATVS.

HELMSTADII
TYPIS C. G. FLECKRISEN, ACAD. TYPOGR.

